

† R. P. Antonius McBriarty (1885-1952)

2. In officio Consultoris Provincialis Patri Gallagher successit Chronista Provinciae, cuius nomen pluries in Analectis legitur, R. P. Antonius McBriarty. Mors subitanea eum, apparenter etiamtum viribus pollentem, oppressit pridie festum Matris perpetuo succurrentis, 21 Iunii, in collegio Woodstock, ubi sua prasentia studentium examinibus maiorem splendorem dabat. Pridie Kalendas Decembres a. 1885 in urbe St. John, N.B., natus erat, professus 2 Aug. 1911, ordinatus presbyter 7 Iun. 1916.

P. McBriarty suae Provinciae immensa servitija reddidit; fuit enim Lector iuvenatus et Socius Directoris, egregius missionarius ac novorum missionalium plasmator in secundo novitiatu, per breve tempus etiam prini novitiatus Magister, Superior localis in London et Brockville, Chronista et Archivista Provinciae, tandem, ut iam dictum est, per brevissimum tempus Consultor Provincialis. Singularem diligentiam varia sua officia exsequabatur, licet huic Chronistae non fuerit datum exarare aliquod defuncti confratris necrologium omnibus numeris perfectum. Contentus erat quam accuratissime narrare finem et texere vitae conspectum chronologicum.

Post eius obitum quaedam ephemeris Canadensis scripsit: « P. Antonius, ut amice vocari consueverat, semper lucidum exemplar virtutum religiosi ac sacerdotis propriarum fuerat. Charactere potius reservato ac rigido praeditus, numquam deflexit a persequendis altis finibus qui eius vitam gubernabant. Erat missionarius zeli plenus ac firmus sectator doctrinae methodique S. Alfonsi, sui exemplaris et patris, quem ardentem verbo scriptoque defendebat. In omni dicione Canadensi, ab Oceano Atlantico (*Newfoundland*) ad Pacificum (*British Columbia*), praedicavit missiones ».

Elogium autem gravissimum periodici *Madonna*, N. 7, p. 215, relinquatur in suo idiomate originali.

*« Father McBriarty was an inspiration and an edification to all the Fathers and Brothers whose privilege it was to know him. His apostolic zeal was unsurpassed; his capacity for work, unlimited; his spiritual life, flawless; his congeniality, heartwarming. Like the true Redemptorist, that he was, his life was marked with a childlike love and devotion to the Mother of God, especially under the title of Perpetual Help. It seems significant that God called him to his reward on the eve of the feast of Our Mother of Perpetual Help. Nothing could have pleased Father McBriarty better ».*

R. I. P.